

cile patet, recte sentire theologos, qui in parvulis martyrium baptismum supplere asserunt, ac peculiarem quoque gratiam conferre; cum ex dictis constet Ecclesiam agnovisse semper martyres etiam solo opere, et non voluntate; atque hujusmodi martyrio vim quamdam ex Christi favore credidisse, quia etiam isti pueruli sanctificari, et martyrium gloria condecorari possent.

(67. Hujusmodi martyres solo opere, et non voluntate in quatuor classes distinguit Benedictus XIV in supra citata ad clarissimum præsulem Veterani epistola. In prima classe reponit illos, qui a remotioribus sæculis in universa Ecclesia publicum cultum obtinent. Qua quidem in classe soli innocentes pueri ab Herode occisi reponi possunt, cum de nullo alio constet in universa Ecclesia a remotioribus sæculis publicum cultum obtinere. In secunda classe pueros statuit in odium Christi fidei occisos, qui ab immemorabili tempore in aliqua civitate, aut diocesi publicum cultum habent scientia, tolerantia, ac etiam expressa ordinariorum approbatione commendatum; atque ad hos referri quoque posse existimat plures, ac plures alios, quorum vel mentio occurrit in annalibus, et ecclesiasticis monumentis, vel certe nomina in Martyrologio Romano descripta sunt. In tertia classe pueri illi reponuntur, quorum corpora cum nominibus, et signis supra indicatis, in cæmeteriis inventa sunt, quorum deinceps reliquæ in aliquibus ecclesiis publicæ venerationi expositæ fuerunt. In quarta denique classe ii constituendi erunt, quibus vita in odium Christi sublata fuit, quorum cultus via ordinaria beatificationis, aut canonizationis promovetur apud apostolicam sedem, ad quam unico spectat post decretum Alexandri III, permittit decernere, et approbare cultum sanctorum in particularibus locis, et in unaquaque mundi diocesi. (68. Semper enim ad Apostolicam Sedem pertinuit decernere publicum cultum alicui sancto pro universa Ecclesia, istumque præcipere; ac sine istius approbatione, nullius sancti cultus ab una ad omnes alias dioceses extensus est, atque universim præceptus; et in hoc sanctorum canonizatio consistit. (69. Sed post Alexandri decretum etiam concessio expressa permissionis cultus in aliqua civitate, aut diocesi in honorem alicujus confessoris, aut martyris, Apostolicæ Sedis auctoritate fieri debet: hæc vero permissio servi Dei beatificatio appellatur. Ad hanc classem spectant beati duo pueri a Judæis in odium Christianæ fidei occisi, Simon scilicet de Tridento anno 1475, interfectus, et Andreas de Pago, cujus martyrium contigit anno 1462. (70. Num expediat hujusmodi pueris permittit, ut post beatificationem etiam decernatur publicus canonizationis cultus? Vide supra citatam Benedicti XIV epistolam.

(71. Unum in præsentia animadvertendum duxi, parvulis scilicet pro Christo occisis, non respondere in cælis aureolam, quæ, juxta theologos, in gloria quadam accidentali con-

sistit, in illa lætitia posita, quam beati martyres experiuntur, dum victoriam cogitant, quam pro Christo dimicando reportarunt; « Innocentes, » inquit S. Thomas in 4, dist. 49, q. 5, art. 3, quæst. ad duodecimum, « sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquid martyrii habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo, ita etiam aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, in quantum scilicet gaudent, se in obsequium Christi occisos esse ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, et carnis integritate. » Iis coherentia habet eminentissimus cardinalis Capisucchi, in suis controversiis theologicis *De martyrio*, qu. 2, § 26, nempe: « Cum aureola sit præmium a Deo beatis concessum intuitu egregiorum operum, quæ ipsi pro Deo in terris patrarunt, ac proinde sit præmium respondens operibus; evidens est, sanctos Innocentes, et alios parvulos pro Christo ante usum rationis occisos aureola non gaudere martyrii. »

(72. Et si mors in odium Christi parvulis illata semper in Ecclesia veluti quoddam martyrium habita est, atque adeo ex divina quadam dispositione peculiaris gratiæ productiva: tamen censura digni dici non possunt a privatis viris theologi illi, qui de salute dubitant parvulorum, quos hac de causa infideles interfecerint, priusquam nati essent, aut antequam baptismum suscepissent. (73. Ecclesia enim nunquam antiquos illos theologos damnavit, qui peculiari hujus gratiæ privilegium ad solos Bethlehemiticis pueros restrinxere; qui inter hos, solos circumcisos salvos prædicarunt, et qui acceleratum iis fuisse dixerunt rationis lumen, ut ex libera acceptatione mortis pro Christo gratiam consequerentur martyrii: horum enim opiniones nunquam Ecclesia proseripsit. (74. Ac multo minus reprehendi ii theologi possunt, qui negant salvos, ac proinde martyres esse pueros in materno utero inclusos, de quorum occisione ne quidem cogitarunt infideles illi, qui in odium Christi matres interfecerunt, quin de occidendo filio in ejus utero incluso unquam cogitaverint; cum in his voluntas quoque tyranni, desit, saltem directa occidendi puerum pro Christo, et quandoque præsumi etiam possit voluntatem habuisse hos non occidendi.

(75. Restat ut nonnulla dicamus de pluralitate martyrum priorum Ecclesiæ sæculorum. Huic controversiæ occasionem dedit Dodwellus, qui, in suis dissertationibus Cyprianicis, de paucitate martyrum priorum Ecclesiæ sæculorum disputavit. Hujus autem viri temeritatem demonstrarunt plures eruditi catholici viri; scilicet theodoricus Ruinarius, in opere hac de re contra Dodwellum scripto: Augustinus Orsi, celeberrimus ordinis Prædicatorum theologus, postea S. R. E. cardinalis; ex eadem quoque prædicatorum familia, martyrum pluralitatem vindicavit clarissimus Ansaldi, egregius ætatis nostræ in universitate Taurinensi theologus;

et, aliis missis, eruditus D. Gerardus Castelli, canonicus ordinis S. Crucis, in controversiis ecclesiastico-historicis; ii enim innumerabilem martyrum multitudinem fuisse ostendunt in Christi Ecclesia primorum sæculorum; tum singulas numerando persecutiones; tum ex antiquis SS. Martyrum actis; tum ex Eusebio Cæsariensi lib. vi *Histor. ecclesiastica*, in quo, c. 6, num. 23, innumerabiles Phrygiæ martyres recenset: et cap. 8, *Prope infinitos*, in Ægypto martyres obiisse scribit; tum ex Prudentio, qui martyrum numerum sub solo Diocletiano incredibilem fuisse scribit; tum denique ex omnibus fere SS. Patribus ii, iii et iv etiam sæculi, qui sine numero obiisse Ecclesiæ martyres scripserunt; scilicet S. Irenæus circa medium ii sæculi, lib. iv *Adversus hæreses*, cap. 64: « Ecclesia, inquit, in omni loco ob eam, quam habet dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad patrem. » Clemens Alexandrinus

circa finem ejusdem sæculi lib. ii *Stromatum* ait: « Nobis autem sunt quotidie martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, et capite truncantur: » S. Cyprianus, circa medium iii sæculi, *De exhortatione ad mart.*, c. 11 scribit: « Numerari non possunt martyres Christiani: quod si tantus ostenditur martyrum numerus, nemo difficile, vel arduum putet esse martyrem fieri: quando videt Christianorum martyrum populum non posse numerari. » Similia leguntur apud omnes apologistas religionis Christianæ apud Lactantium in lib. *De mortibus persecutorum*; apud Eusebium, et alios antiquos historicos ecclesiasticos; apud Ambrosium, Augustinum, aliosque antiquos Patres; quod sic indicasse sufficiat, ut lectoribus pateat, quanta fuerit hæretici Dodwelli temeritas, qui adversus tot luculentissima testimonia de martyrum paucitate ausus sit disputare.

## MARTYROLOGIUM.

## SUMMARIUM.

1. Quid sit martyrologium, ad n. 2. — 3. Quomodo a calendariis differat. — 4. Eusebiusne Martyrologium scripserit? — 5. Martyrologium Hieronymianum. — 6. Romanum parvum. — 7. Bedæ.

(1. Reddi *Martyrologium* latine posset *sermo de testibus*; *martyr* enim testem significat, quia martyres Christi fidem suo ipsorum sanguine testati sunt; quod et confessione sua alii sancti fecere, quorum etiam habetur in martyrologio memoria; sed a potiori parte sumitur martyrologii appellatio, a martyribus nempe, qui pro Christi nomine passi sunt.

(2. Inter martyrologia porro, et calendaria, quibus quoque martyrum nomina inscripta sunt, non parvum intercedit discrimen. Nimirum, ut Pagius senior adnotavit, in *Critica ad ann. Christi 64*, num. 6, « singulæ Ecclesiæ sua habere calendaria, in quibus digesta erant nomina episcoporum, et martyrum, diesque notati, quibus memoria eorum anniversario cultu celebraretur; martyrologia vero non unius loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius orbis martyres, confessorisque generaliter continerent; et in calendariis quidem antiquioribus, nomen urbis nunquam (verius, plerumque) describitur, cum in usum duntaxat unius Ecclesiæ comparata sint; at in martyrologio nomina singularum urbium, et oppidorum ascribuntur, propterea quod ad usum totius Ecclesiæ institutum est. » Quod etiam a Florentino *Admonit.*, 5, pag. 23, perspicue affirmatur.

(3. Et aliud calendaria inter, et martyrologia discrimen est; quod in illis vix quidquam, præter sanctorum nomina ascribitur; in his contra sancto, cujus fit mentio, elogium quodpiam modo brevius, modo prolixius textitur. Hinc cum Matthias Fridericus Beckius *Martyrologium* quoddam *Ecclesiæ Germanicæ per vetustum* edidisset, commentario illustratum; Augustæ Vindelicorum

— 8. Adonis. — 9. Usuardi, ad n. 10, 11, 12. — Romanum. — 15. Descriptio in Romano Martyrologio quid importat? — 14. Apponine in Romano Martyrologio queant sancti nondum canonizati? — 15. Martyrologii lectio.

1687; Basnagius in historia *des ouvrages des savants* ejusdem anni pag. 28, Calendarium illud potius, quam *Martyrologium* appellandum esse monuit, cum nuda martyrum nomina contineat.

(4. Baronius cap. 5, *Prolegom. ad Martyrol. Rom.* primum omnium, qui scribendo Martyrologia operam dederit, ab omnibus, ait, prædicari Eusebium. Id quoque dicitur in epistola, quæ Hieronymi nomine ad Heliodorum circumfertur, a Beda in *Retractat. ad Acta apostol.* cap. 1. Valafrido Strabone *De offic. Eccles.*, cap. 28, et fere, ut idem Baronius animadvertet, a recentioribus (sui temporis) omnibus. Porro Eusebii Martyrologium a S. Hieronymo latinitate donatum fuisse Beda, aliique, quos Molanus secutus est, *De martyrologiis* cap. 11, tradiderunt. Verum Baronius cap. 6, Eusebium contendit, non Martyrologium, sed fusiore stylo acta martyrum scripsisse: ad S. Hieronymum vero, quod spectat, epistolas illas Heliodori ad Hieronymum, hujusque ad illum confictas docet: ad summum eodem cap. 6, ait: « existimandum esse Hieronymum brevi summa librum illum Eusebii in compendium redelegisse, ipsumque opus postea Martyrologium esse dictum, ac Hieronymi nomine nuncupatum. »

(5. Enimvero Lucas Dacherius tom. IV *Spicilegii* ant. edit., p. 617, *Martyrologium* vulgavit ann. 1661 vetustissimum, S. Hieronymi presbyteri nomine insignitum. Septem post annis illud ipsum Lucensibus typis edi curavit Cl. Franciscus Maria Florentinus, hoc titulo: *Vetustius occidentalis Ecclesiæ Martyrologium D. Hieronymi*. Bollandiani quoque idem S. Hieronymi Martyrologium ex membranæ Eptarnacensibus



exhibuerant, tom. II *April.*; Martenius vero, tom. III *Thes. Anecd.*, p. 1547, ex ms. monasterii S. Germani Antissiodorensis illud emisit. Tandem Vallasius Dacherianum hujus Martyrologii exemplum in Veronensem Hieronymianorum operum editionem a se curatam intulit t. XI, pag. 475. Verum Dacherius ipse, qui illud, ut diximus, primus protulit, negat, se illud integrum Hieronymo asserere tanquam germanum foetum, « cum plures ipso recentiores sanctos constet diversis temporibus cum a clericis, tum a monachis pro libito fuisse adjectos, potissime patronos, aliosque qui anniversario cultu eujusque in Ecclesiis celebrabantur. » Nec tamen exiguo in pretio illud habendum monet: « Similes enim, inquit, passæ sunt accessiones Bedæ, Usuardi, Adonis martyrologia: quapropter cogentur identidem eruditi viri his ipsis Martyrologiis fidem denegare, ni adjecta secernerent. » Dacherii iudicium exscribit, probatque in edmonitione prævia Vallarsius, suppositisque sancto doctori operibus ad censendum hocce Martyrologium consentit; addit tamen, esse lectu dignum, et bonæ præ cæteris frugis opusculum. « Nobis satis sit, Martyrologium hocce, quisquis ejus auctor fuerit, antiquissimum esse, quod doctissimus P. Sollerius in *Præfat. ad Martyrolog. Usuardi*, cap. 1; Bedæ, ac præsertim Cassiodori *De instit. divin. litter.*, cap. 32, confirmat, imo, ut idem Sollerius animadvertit, ex *commun. Catholicorum consensu* (si Henricum Valesium exceperis) Hieronymi nomen præferre posse, atque adeo Hieronymianum tuto nuncupari, tametsi monumenta desint, quibus ipsum sancto Doctori certo vindicemus. »

(6. Martyrologium Romanum parvum, quod cum Adone ab Heriberto Rosweydo primum, deinde a Dominico Georgio accepimus, Hieronymiano proximum ætate est. Illud enim ipsum est, quod S. Gregorius M. memorat. Negant id quidem Valesius in *Exercitatione* de hoc martyrologio ad Eusebii calcem, Florentinus *Ad Hieron. Martyrolog.* p. 17 seq., et Saussaius *De mysticis Gallie scriptoribus*, pag. 981, seq. Verum hocce Martyrologium satis antiquum esse ostendit Sollerius, *Proleg. Ad Usuard.*, cap. 2, et si quid est, quo illud sincerum non esse vetus Romanum, de quo Gregorius, fere, mea quidem sententia, ad accessiones spectat Græcorum, qui illud ad suæ Ecclesiæ mores Ravennæ, ubi ejus exemplum descriptum fuit, accommodarunt.

(7. Sequitur Bedæ Martyrologium, quod cum sæpe editum sit, Bollandiani studium operamque contulerunt t. XI *Martii*, ut illud quoad fieri posset, suæ integritati restitutum, et a Flori diaconi Lugdunensis, a quo fuerat circa annum 836 interpolatum, additamentis distinctum exhiberent. Neque tamen ad Bedæ autographum satis repurgatum visum Sollerio aliisque nonnullis fuit. In Anastasio Blanchinianæ editionis extat aliquanto purius, et cum Bollandianorum editione collatum ad pervetustum Veronensis

capituli Codicem, de quo Cl. marchio Maffei in *Biblioth. Veron.*, ad calcem *Historia theologica, De Gratia* p. 93. Omitto alias editiones; omitto etiam Wandelberti, Rhabani, Votkeri, Balbuli Martyrologia, de quibus eruditissimus comes Fridericus Althanus in *Dissertatione De calendariis*, p. 20 seqq., et p. 337, 339 seqq.

(8. Ad Viennensis ix sæculo archiepiscopi Adonis Martyrologium progredior. Aloysius Lipomanus Patricius Venetus, ac Veronensis episcopus magno in opere *De vitis sanctorum* tom. IV, illud primum edendum curaverat pag. 150 seqq.; Venetæ a. 1534 editionis. Hanc Adoniani Martyrologii editionem exceperunt duæ Colonienses a Jacobo Mosandro Carthusiani ordinis curatæ, altera a. 1581, altera a. 1586, in appendice ad Surium. Tertiam Antuerpiæ, ex officina Plantiniana dedit cum præclarissimis adnotationibus, et Romano parvo, ut diximus, Martyrologio P. Heriberti Rosweydi; quæ deinde in *Bibliothecis Patrum Parisiensem* a. 1645, et *Lugdunensem* a. 1677 illata fuit. Quartam denique, eamque præstantiorem egregius præsul Dominicus Georgius Rhodiginus Romæ a. 1745 exhibuit.

(9. Ante Adonem nominandus mihi fuisset Usuardus Sangermanensis, nono sæculo monachus, si (quod Baronio, Molano, imo et Mabillonio visum fuit) Adonem ætate præcessisset. Sed præstantissimus P. Sollerius in luculenta Usuardini *Martyrologii* editione tom. VI *Junii, Bollandiani*, primus feliciter detexit, non solum Adone fuisse Usuardum in concinnando Martyrologio posteriorem, sed etiam id potissimum sibi sumpsisse, ut Adonianum Martyrologium contraheret. Benedictinus tamen Jacobus Bovillart, ut Sollerii editionem minus accuratam fuisse ostenderet, Usuardi *Martyrologium* iterum exhibuit Parisiis 1718, in-4º, ad Usuardi ipsius autographum, quod in Sangermanensi bibliotheca asservari non dubitabat. Nolim tamen prætermittas, quæ in litterariis Patrum Trivultianorum Epemeridibus mense Maio an. 1719, pro Sollerio adversus Bovillartii observationes disputata fuerunt. Adi etiam in actis Bollandianis ipsius Sollerii vitam.

(10. « Lectio Usuardini *Martyrologii*, » ut ait eminentissimus Lambertinus *De servor. Dei beatif. et beat. canon.*, lib. IV, p. 11, cap. 17, « ad omnes fere alias Ecclesias propagata est, etiam ad Romanam, excepta tamen Vaticana basilica, quæ suum quoddam habebat Martyrologium, quod hodie etiam in archivio capituli conservatur; ita ut in fine sæculi xv passim in Ecclesiis non aliud Martyrologium legeretur, quam Usuardi. » Itaque hoc Martyrologium illud est « secundum morem Romanæ curiæ, quod emendatum per magistrum Belinum de Padua ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. » Venetiis prodit *arte et impensis Lucæ Antonii de Giunta Florentini*, anno 1509, illud quoque, quod Franciscus Maurylycus abbas Messanensis ibidem edidit *apud Juntas*; illud etiam, quod a Petro Galesinio

protonotario Apostolico cum notis non contentendis illustratum exit Mediolani ann. 1577, iterumque Venetiis 1578.

(11. Sed tandem Gregorii XIII jussu ad Romani Martyrologii correctionem manum admovit Baronius, et emendatum anno 1584 vulgavit; quod postea sæpius recusum fuit. Potior tamen est, novisque Baronii curis præstantior editio, quæ Romæ an. 1588 Sixto V inscripta exiit. Recognitum tamen fuit a 1632 Urbani VIII auctoritate, illudque cum notis geographicis tabulisque, et Indicibus, per Augustinum Lubinum Augustinianum, prodit Parisiis 1661 et 1679. Novam a Clemente X emendationem subiit Martyrologium Romanum, non tamen perfectam, nisi sub Innocentio XI eaque ann. 1681 typis Reverendæ Cameræ exiit. Inter hujusce Martyrologii editiones eminet quam Benvenuti, anno 1716, exhibuit Franciscus Maria d'Esta, archiepiscopus Hydruntinus, cum disceptationibus chronologico-geographicis.

(12. Demum Benedictus XIV Romanum hocce Martyrologium accuratissime emendandum suscepit, illudque ann. 1748 Romæ emisit, præmissa insigni epistola, qua de Martyrologio deque sanctis quos, aut primum in illud intulit (in his S. Siricius Papa), aut inde expunxit (nempe Clementem Alexandrinum et Sulpicium Severum), doctissime disserit. Hinc operi titulus: *Martyrologium Rom. Gregorii XIII jussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum; Editio novissima a Sanctissimo D. N. Benedicto XIV P. M. aucta, et castigata, in qua nonnulla sanctorum no-*

## SUMMARIUM.

1. Mater prægnans in periculo vitæ, quod nequit aliter evitare, potest sumere medicamenta ordinate directe ad ipsius salutem, quamvis indirecte possint tendere ad foetus nondum animati interitum. — 2. Non potest tamen mater prægnans in tali periculo ob tuendam sanitatem sumere medicamenta ex se, et directe tendentia ad interitum foetus, quamvis nondum animati. — 3. Si medicamentum, seu remedium æque tendat ad sanitatem matris, ac ad interitum foetus nondum animati, potest mater probabilius illud licite sumere. — 4. Quando foetus est jam animatus, certum est, quod non potest mater pro salvanda propria vita licite sumere medicamenta, seu remedia de se directe, et primario tendentia ad interitum ipsius foetus animati. — 5. Nec etiam potest mater licite sumere talia remedia in casu, quo dubitetur, an de facto sit foetus animatus? — 6. In casu autem, quo medicamenta, seu remedia adhibenda æque efficaciter tendant ad sanitatem matris, et interitum foetus animati alioquin desperati, poterit mater probabilius licite ea sumere. — 7. Quidquid negent aliqui. — 8. Dato quod certo, vel probabiliter medicorum iudicio mater simul cum foetu animato ante partum moritura sit, et adhibitis remediis, spes sit, quod saltem mater servari possit, tunc licite potest mater adhibere remedia per se directa, et efficacia ad suam sanitatem, quamvis inde per accidens contingat foetus enecari. — 9. Exstante vero spe, quod proles possit in lucem viva prodire et baptizari, tenetur mater abs-

1. Mater prægnans in periculo vitæ, quod nequit aliter evitare, potest sumere medi-

mina in præteritis editionibus omissa suppleantur; alia item sanctorum, et beatorum nomina ex integro adduntur.

(13. An. 1680 dubitatio exorta est, an descriptio in Martyrologio Romano extensionem cultus importet. Itaque D. Prosper Bottinius pro suo, ut aiunt, Promotoris fidei munere, S. R. C. dissertationem exhibuit, in qua eam descriptionem, cultum, ejusque extensionem importare multis contendebat. Atque hæc Bottinii sententia plurimis probata est. At contra cardin. Lambertinus in laudato opere *Deservor. Dei beatif. l. c.*, cap. 19 sensit « descriptionem nominis alicujus in Martyrologio Romano ad historiam gestorum pertinere. » Hanc vero doctissimi cardinalis, postea Summi Pontificis sententiam singulari dissertatione adversus Bottinianam propugnavit vir eruditissimus D. Emmanuel de Azevedo, atque ea prostat inter hujus *Exercitationes relectas*, Venetiis ann. 1783, excusas p. 647 seq.

(14. S. R. C. 10 Julii ann. 1616, itemque 31 Augusti, ann. 1680 decretum edidit *De non apponendis in Martyrologio Romano, nisi sanctis canonizatis*. Nihilominus, ex peculiari Summorum Pontificum indulgentia, beatorum aliquot nomina Martyrologio inscripta novimus, ut verè idem Azevedus animadvertit, *Exercit.*, p. 11, exercit. 38, p. 92, quas videsis.

Lectio Martyrologii in choro ad primam præscripta est. Triduo tamen Hebdomadæ sanctæ omittitur, quia Christi Passioni jam nimis sumus intenti, ut de passione aliorum sanctorum cogitemus. Alia vide infra, v. NATALIS.

## MATER.

tinere ab hujusmodi remediis, et postponere propriam vitam corporalem saluti aeternæ proles. — 10. Foetus quando animetur? — 11. Alia, remissive. — 12. An mater teneatur permittere sectionem, ut baptizetur puer, alias moriturus sine Baptismo. — 13. Mater prægnans crebras et numerosas choreas ducens cum agitatione, ob periculum, in quod injicit se ipsam, et foetum, regulariter non eximitur a peccato gravi. — 14. Mater tenetur alere filios primo triennio. — 15. Alia quoad hæc, remissive. — 16. Mater, et nutrix, quæ sine debita cautela infantem tenellum retinent noctu in lecto, in quo ipsæ cubant, sive sequatur suffocatio, sive non, ordinarie peccant graviter. — 17. Possunt tamen dari casus, in quibus mater et nutrix excusentur a culpa gravi, et etiam aliquando a veniali, et assignantur. — 18. Mater suffocans, seu occidens filium, de rigore, privilegio immunitatis gaudere debet. — 19. Mater prætensa rea infanticidii extracta ab hospitali ad formam bullæ, gaudet immunitate, adeoque est restituenda dicto loco immuni. — 20. Matricida extractus ab ecclesia gaudere debet immunitate ecclesiastica. Cavendum tamen est, ne in his tribus ultimis casibus interveniat casus præmeditatus, ob quem rei homicidii privantur immunitate ex noviss. constitut. Benedict. XIII relata sub *Immunitas*. Et ex alia noviss. const. Benedict. XIV allata in *Supplem.* ad dict. *Immunit.* — 21. Matris mœstitia est filius stultus. — 22. Matris maledictio eradicat fundamenta. — 23. Subnectuntur *Add. ex aliena manu*, ad n. 31.

camenta ordinata directe ad ipsius salutem, quamvis indirecte possint tendere ad foetus